

»vinae justitiae vindicantis quod sic detinet spiritum, et ita effici-  
 »tur ei poenalis; retardans eum ab exequutione propriae voluntatis,  
 »ne scilicet possit operari ubi vult et secundum quod vult...  
 »Oportet ergo omnes praedictos modos in unum colligere, ut per-  
 »fecte videatur quomodo anima ab igne corporeo patiat; ut sci-  
 »licet dicamus quod ignis ex natura sua habet quod spiritus incor-  
 »poreus ei conjungi possit, ut loco locatum, sed in quantum est  
 »instrumentum divinae justitiae habet ut ipsum quodammodo  
 »retineat alligatum; et in hoc veraciter ignis iste est spiritui noci-  
 »vus, et sic anima ignem ut sibi nocivum videns, ab igne cru-  
 »ciatur.»

Si haec sententia, ait Suarius (1), suspiciatur ita ut non nisi per alligationem daemones torqueantur, est insufficientis, quia tunc non erit verum angelum torqueri ab igne, sed a Deo in igne. Imo tunc revera nulla specialis afflictio daemonis ex igne oritur etiam objective; nam in primis ab igne nulla est efficientia, ut supponitur; aliunde vero tota illa afflictio ex duobus nascitur scilicet ex privatione loci superioris maxime caelestis et ex detentione in tali loco v. g. centro mediae terrae; quod aequae posset fieri per aerem et aquam: quare ignis non magis affligeret daemonium quam aer vel aqua. Deinde quia ut bene P. Toletus (2) observat: «Dolor» consequitur ex aliquo disconveniente interno et in propria sub-  
 »stantia, sola detentio non est talis: non ergo habent daemones  
 »dolorem, sed displicentiam sicut habent homines ex externis dam-  
 »nis.» Propter haec inconvenientia censuit Suarius non sufficere adligationem ad ignem et ab ipso propositus est modus:

3. Suarii, qui explicat addens sententiae D. Thomae: ignem a Deo elevatum producere qualitatem doloriferam spiritualem.

Qualitas dolorifera spiritualis est qualitas naturae spirituali disconveniens, quae sit objectum causativum doloris acerbissimi in voluntate; non quidem ejusdem rationis cum eo, quem in voluntate patitur anima conjuncta per combustionem, sed ei quam maxime proportionati.

Prob. Possibilis est qualitas spiritualis dolorifera, et possibile est ignem elevari ad producendam hujusmodi qualitatem in demonibus et animabus separatis. Sed posita horum possibilitate probabilius dicendum est ita fieri. Ergo. *Maj.* prob. quoad primam partem, nam quoad secundam cum ignis agat non propria virtute sed ut instrumentum a Deo elevatum non eget probatione; cum per se verisimile sit creaturam posse a Deo adjutam id facere, quod sola non posset i. e. id quod est supra naturam ejus, si ex modo non est repugnantia, quam non esse ostenditur in tractatu de sacramentis in genere et alibi, ubi de potentia obedientiali est sermo. Possibilis est qualitas disconformis et ingrata substantiae spirituali. Sed hujusmodi qualitas spiritualis erit dolorifera. Ergo. *Maj.* prob. Sicut se habent qualitates materiales ad subjectum materiale, ita possunt se habere qualitates spirituales ad subjectum spirituale, ut

(1) De Angel. L. 8, c. 12, n. 7. — (2) In I, Q. 64, ar. 3.

videtur per se notum. Sed inter qualitates materiales aliquaes sunt conformes et gratae subjecto v. g. palato dulcedo, auditui concordans musica, etc. aliae vero sunt contrarie et dissonae v. g. amaritudo fellis, etc. Ergo eodem modo licebit discurre respectu subjecti spiritualis.

*Minor.* primi syllogismi prob. a) Loquutiones Scripturae et PP. dicentes daemones et animas separatas uri, cremari per verum cruciatum ab igne, debent, quam propriissime fieri possit, intelligi. Sed in puris spiritibus qui proprio ardore uri, cremari, etc., non possunt, non proprius potest intelligi uri, cremari, etc., quam per praedictam qualitatem, ut inductione constat ex his quibus inconvenientiam vel insufficientiam aliarum sententiarum manifestavimus. Ergo...

b) In omni dolore sensibili quem experimur, notamus non fieri ab agente extrinseco, nisi per impressionem objecti seu doloriferam qualitatis: ergo idem dicendum de dolore spirituali, cum nos spiritualia intelligere non possimus nisi per proportionem ad sensibilia.

Obj. 1.º Qualitas dolorifera spiritualis aequae potuit instrumentaliter produci ab aqua et quovis alio corpore, quam ab igne; ergo non est ratio cur ad ejus productionem potius per eam daemones et animae separatae dicantur uri, quam frigeferi.

Resp. Neg. sequelam, nam convenientius fuit assumere ignem: a) ut idem instrumentum torqueret spiritus et corpora damnatorum; b) ignis de se causat dolorem acerbissimum in corporibus et ideo habet majorem analogiam cum effectu in spiritibus producendo, quam aliud quodlibet corpus, et melius exprimit nobis acerbicatem poenae sensus. Ob eandem rationem productio istius qualitatis, potius dicenda est ustio quam frige factio, quae cum non adeo vehementer cruciet, non est aequae apta ad poenam sensus exprimendam nobis.

Obj. 2.º Qualitas dolorifera spiritualis quam admittimus, cum non sit naturalis erit supernaturalis. Sed qualitas supernaturalis non est disconveniens naturae intellectivae. Ergo.

Resp. Erit supernaturalis quoad substantiam, stricte et proprie, quatenus sit ordinis divini de se conducens ad participationem divinitatis per gratiam et visionem beatam; neg. Erit supernaturalis seu potius, ut dicit Suarius praeternaturalis, hoc sensu quod entitate sua talis sit, ut superet vim et exigentiam activam et passivam omnis creaturae creatae et possibilis; conc. Et contrad. *min.* etc. Meratius negat simpliciter majorem et dicit esse naturalem ex hypothesi, quod dentur peccatores ita puniendi.

Obj. 3.º Si nostra sententia esset vera, homines post resurrectionem poenam ignis duplici cruciarentur. Sed hoc nequit dici. Ergo... *Maj.* constat, nam eorum animae cruciarentur tunc ut separatae et ut conjunctae. *Min.* probatur: Contra justitiam divinam videtur, hominem puniri duplici adaequata poena sensus. Sed ignis torquens animas separatas est adaequata poena supplens absentiam corporis; et ignis torquens animas conjunctas sine cessatione illius primae esset nova et adaequata poena. Ergo.

Resp. 1.º Aliquos id non reputare absurdum ac proinde respon-



dent. Conc. *maj.* neg. *min.* Ad probat. *minoris* concedunt *majorem* negant *minorem*, quia ignis ut est crucians animam conjunctam non causat nisi poenam accidentalem.

Resp. 2.<sup>o</sup> Conc. *maj.* neg. *min.* Ad ejus probationem concessa *majore*, *minorem*, dist. seu explico: ita ut ignis elevatus post resurrectionem producat qualitatem multo minus disconvenientem; conc. Aequaliter disconvenientem, neg. Ratio est, quia cum Deus pro suo nutu elevet ignem ad producendam qualitatem disconvenientem, pro suo nutu poterit elevare ad producendam qualitatem magis vel minus disconvenientem, ideoque ut summe justus omnia temperavit, ut ex qualitate dolorifera et ustione corporis resultet dolor proportionatus et debitus peccato.

Resp. 3.<sup>o</sup> Neg. *maj.* quia post resurrectionem ignis non producet amplius ut in animabus separatis qualitatem spiritualem doloriferam (1).

40. *Quaeres* quomodo ignis possit torquere daemones absentes ab inferno?

Resp. Probabiliter agendo virtute divina in distans, cum probabiliter actionem in distans non repugnare teneant plures; vel cum D. Thoma (2) ex vivissima apprehensione perpetuae alligationis ad ignem.

*Nota.* De obstinatione voluntatis damnatorum in malo Disq. I, de Angelis, Thes. XXXIV et Schol. actum est.

### THESIS VIII.

Damnatorum poenae, ut ipsa gravitas peccati mortalis exigit in aeternum duraturae sunt.

41. *Nota.* In hac thesi duo asserimus. 1.<sup>o</sup> Peccatorum mortalium poenas esse aeternas. 2.<sup>o</sup> esse aeternas ut ipsa gravitas peccati mortalis exigit i. e. Deum summe misericordem non punire ultra condignum peccata mortalia, cum ea punit in aeternum, sed e contra proportionate ad eorum malitiam et gravitatem. Utramque partem probabimus simul, cum ex argumentis rationis, secunda pars praecipue elucere debeat.

Quoad primam partem negarunt aliqui antiqui ut origenistae, priscillianistae, sociniani, impugnant plurimi protestantes, rationalistae omnes et increduli. Ex veteribus aliqui dixerunt poenas inferni ex Dei misericordia finem esse habituras universim pro omnibus damnatis; alii pro hominibus, alii denique tantum pro christianis, et inter hos, nonnisi pro eis qui opera charitatis exercerent quos singillatim refutat D. Thomas (3). Est de fide.

Quoad secundam partem, quatenus supponit peccatum mortale ex se et intrinsece mereri poenam aeternam, praescindendo a ratio-

(1) Ex Suario De Angel. L. 8, c. 13; Platelli. De Angelis, nn. 406-409. — (2) Suppl. Q. 70, a. 3, ad 8. — (3) Suppl. Q. 99, ar. 2 et 3.

nibus quibus probetur est communis. Quatenus supponit hanc aeternae poenae condignitatem probari ratione, fatendum est, *evidenter* ita ut intellectus non possit resistere non probari, cum neque una sit ratio in quam auctores convenient; *moraliter* tamen, quatenus injustitia poenae aeternae probari non potest, et justitia e contra multis rationibus ita suadet ut validissima poenae aeternae suspicio animo ingeratur, quae nonnisi imprudenter contemneretur, probari. «Quam ob rem, ait S. Augustinus (1), prorsus nec alia causa, nec justior nec manifestior inveniri potest cur »verissima pietate teneatur fixum et immobile, nullum regressum »ad justitiam diabolum et angelos ejus habituros, nisi quia Scriptura quae neminem fallit, dicit eis Deum non pepercisse, et sic »ab illo esse interim praedamnatos, ut carceribus caliginosis inferni retrusi traderentur servandi, atque ultimo judicio puniendi, »quando eos aeternus ignis accipiet, ubi cruciabuntur in secula »saeculorum.» Et Lessius (2): «Quatuor sunt mysteria nostrae »fidei, maxime difficilia creditu menti humanae. Mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae et Aeternitatis suppliciorum.»

42. Prob. 1.<sup>o</sup> In Symbolo S. Athanasii profiteamur ut de fide catholica: «Qui bene egerunt ibunt in vitam aeternam, qui »vero mala in ignem aeternum.» Synodus gener. V. Constantinopolitana II, quae teste Nicephoro (3) anathema dixit contra errorem Origenis: «Temporanea esse daemonum et impiorum hominum tormenta, finemque ea tempore aliquo habitura, »atque impios ac daemones in priorem suum statum restitutum iri.»

2.<sup>o</sup> Contra reprobos hanc feret sententiam Christus D. (4): *Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus... et ibunt hi in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam.* Et de hoc igne Joannes (5): *Et fumus tormentorum eorum ascendet in saecula saeculorum.* Marcus (6): *Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.* Sed haec sensu proprio sine dubio poenam aeternam, numquam finem habituram significant. Ergo... Confir. a) Eodem modo dicitur aeternum praemium ac supplicium aeternum ut patet ex primo textu. Sed praemium est aeternum sensu proprio. Ergo. b) Cum D. Thoma (7). Sicut se habet praemium ad meritum, ita poena ad culpam. Sed secundum divinam justitiam merito temporali debetur praemium aeternum. Ergo. *Min.* Est Joannis (8): *Omnis qui vidit Filium, et credit in eum habet vitam aeternam.* Ergo et culpae temporali, etc.

3.<sup>o</sup> Traditione S. Augustinus (9): «Christus in uno eodem-

(1) De civit. L. 21, c. 23. — (2) De div. perf. L. 13, c. 25. — (3) L. Histor. 17, c. 28. — (4) Matth. XXV, 41, 46. — (5) Apocalyp. XIV, 11. — (6) IX, 43. — (7) Suppl. Q. 99, n. 1. — (8) VI, 40. — (9) De civit. L. 21, c. 23.



»que loco, in una eadamque sententia dicit: ibunt isti in supplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam: si utrumque aeternum, profecto aut utrumque cum fine diuturnum, aut utrumque sine fine perpetuum debet intelligi, par pari enim relata sunt. »Hinc supplicium aeternum, inde vita aeterna. Dicere autem, in »hoc uno eodemque sensu vita aeterna sine fine erit, supplicium aeternum finem habebit, multum absurdum est.» S. Cyprianus (1): «Credite illi, qui incredulis aeterna supplicia gehennae ardoribus irrogabit... Cremabit addictos ardens semper gehenna, »et vivacibus flammis vorax poena, nec erit unde habere tormenta »vel requiem possint aliquando vel finem. Erit tunc sine fructu »poenitentiae dolor poenae, inanis ploratio et inefficax deprecatio. »In aeternam poenam vero credent, qui in vitam aeternam credere »noluerunt.» S. Justinus M. (2) inquit: «Nos immortalitatem »eos consequi solos didicimus, qui Deum vitae sanctitate et virtute »propius contingunt; qui autem improbi vivunt, nec immutantur, »eos igne aeterno credimus puniri.» Et addit (3): «Quem (diabolum) »in ignem esse mittendum cum exercitu ipsius, et hominibus, qui »eum sequuntur, in aeternum puniendis Christus ante significavit.» S. Irenaeus (4): «Quibuscumque dixerit Dominus: *Discedit*, etc., isti erunt semper damnati.» S. Gregorius Nazian. (5) de damnatis ait: «Hos autem simul cum aliis, vel potius »ante alia istud excruciat, quod a Deo proiecti sint, atque inustam in conscientia sempiternae ignominiae notam gerant.» S. Gregorius Nyssen (6): «Denique pro suis quemque meritis ornatum cerno. Illis, qui boni benignique fuerint, atque »optime vitam egerint, summa et perpetua quies tribuitur in regno »caelesti; inhumanis autem et improbis supplicium ignis, idque »sempiternum.» S. Ambrosius (7) alloquens Manichaeum, inquit: «Tu te a diabolo creatum, Manichaeae arbitraris: ad illius »ergo festina sedem, ubi non restinguitur ejus incendium, nec »unquam poena moritur.» Et idem ait (8): «Resurgent corpora »nostra aut ad gloriam, aut ad poenam in aeternum mansuras.» S. Hieronymus (9) expendens illa verba: *Dilatavit infernus animam suam*, inter caetera ait: «Qui saeculi deliciis occupati sunt, »nec respicientes opera Dei captivi ducuntur in peccatum, detrahentur in gehennam, ibique aeternis cruciatibus deputati, potentiam et superbiam miseria cernent, et humilitate mutari.»

Concil. Lateranense IV, in fidei professione. «Omnes cum

(1) Ad *Demetrium*.—(2) *Apol.* 1, n. 21.—(3) *Ibid.* n. 28.—(4) *Adv. haer.* L. 4, c. 28, al. 47, n. 2.—(5) *Orat.* 16; al. 15, n. 9.—(6) *Orat.* 1, de *Pauperibus amandis*.—(7) De *Fide*, 1, 2, c. 13.—(8) *Tract. in Symb. Apost.* cap. 23.—(9) In cap. 5, *Isai.*

»suis resurgent corporibus, ut recipiant secundum opera sua, sive »bona fecerint sive mala, isti cum diabolo poenam perpetuam, illi »cum Christo gloriam sempiternam.» Synod. Tridentina hanc veritatem saepe supponit, sic sess. 6, can. 25. «Si quis in quolibet bono »opere justum... peccare dixerit... mortaliter, atque ideo poenas »aeternas mereri... anathema sit.» Idem repetit. ses. 14, can. 5, (1).

43. 4.° Rationibus a) Damnati puniendi sunt supplicio quodammodo infinito. Sed hoc supplicium non potest esse infinitum quoad intensionem. Ergo debet esse infinitum quoad durationem. Sed supplicium infinitum quoad durationem est supplicium aeternum seu finem non habiturum. Ergo... *Maj.* prima prob. Damnati supplicio luere debent pro offensa quam peccando Deo irrogaverunt poenas proportionatas: hoc enim decet sapientem et justum legislatorem. Sed offensa Deo per peccata irrogata est quodammodo infinita. Ergo... *Minor.* constat, quia quo major et excelsior est dignitas personae offensae, eo major est offensa, cum igitur in casu persona sit Deus, ac proinde infinitae dignitatis, offensa propter hanc causam quodammodo infinita est. Ergo.

b) Convenit ut qui pro aeterno peccat, in aeternum puniatur. Sed illi, qui sunt damnati, peccatum lethale admittentes pro aeterno peccaverunt. Ergo convenit ut aeternis suppliciis afficiantur. *Maj.* patet, quia tantum quis puniri debet, quantum in peccato permanere vult, sic S. Gregorius (2): «Ad magnam justitiam »judicantis pertinet, ut numquam careant supplicio qui in hac »vita numquam voluerunt carere peccato.» *Min.* prob. Qui in pec-

(1) Cum haec veritas iterum a pluribus negetur, paratus erat canon a conc. Vaticano sancendus (cf. schema const. dogm. de fide cath. V. De grat. redempt. 6, Coll. Lac. t. VII, p. 567.) «Si quis dixerit, etiam post mortem hominem justificari posse; aut poenas damnatorum in gehenna perpetuas futuras esse negaverit; anathema sit.» Et cap. XVII (*Ibid.* p. 517), haec fusius ita exponuntur: «Sicut vero Ecclesia catholica docet, nulla esse peccata quamvis gravia, quorum remissionem homines in hac vita per veram poenitentiam et virtutem sacramentorum ab infinita Dei Salvatoris nostri misericordia obtinere non possint: ita sacrarum Scripturarum et sanctorum patrum doctrinae et ipsius Ecclesiae catholicae consensui inhaerentes docemus et definimus post viam hujus vitae, quando homines jam ad terminum retributionis pervenerunt, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum (2, Cor. V, 10,) pro nulla lethali culpa relictum esse locum salutis poenitentiae et expiationis, sed cuivis peccato mortali, quo maculata anima mox post obitum coram sancto et justo iudice Deo comparuerit, poenam constitutam esse perpetuam, sicut ipse aeternus iudex testatur: *Vermis eorum non moritur, et ignis non extinguatur* (Marc. IX, 43). Unde tamquam haereticam damnamus doctrinam »tum eorum, qui negaverint, poenas damnatorum in gehenna fore perpetuas; »tum eorum, qui dixerint, quaedam esse peccata mortalia, quorum expiatio et »remissio post mortem sperari possit, atque ita eos, qui cum hujusmodi culpae »reatu ex hac vita decesserint, non in aeternum damnari.»—(2) L. 4, dialog. c. 44.



catum mortale labitur propria voluntate, se conjicit in statum a quo erui non potest, nisi divinitus adjutus: unde ex hoc ipso quod vult peccare, consequenter vult in peccato manere perpetuo: sicut si aliquis sibi erueret oculos, vellet caecus semper permanere; si se in foream projiceret, unde exire non posset nisi adjutus, posset dici quod in aeternum ibi manere voluisset quantumcumque aliud cogitaret.

c) Tamdiu peccatum juste punitur, quamdiu durat ipsius reatus culpa et poenae. Sed in damnatis reatus culpa et poenae peccati mortalis semper durat. Ergo. Prob. *min.* Peccatum mortale constituit hominem in statu in quo satisfacere pro peccato vel ipsius remissionem mereri non potest, per se enim tollit meriti et satisfactionis principium. Sed reatus culpa peccati pro quo non possit satisfieri, et quod non remittatur, semper durat. Ergo reatus culpa peccati mortalis in damnatis semper durabit. Subsumo. Sed si in ipsis semper consistit reatus culpa, durabit etiam semper reatus poenae, tum quia reatus poenae debet culpa esse proportionatus, tum quia Deus non potest non odisse culpam. Ergo.

d) Damnati eam poenam sustinebunt quam Deus ipsius legum transgressoribus constituere debuit. Sed congruum est Deum pro talibus poenam aeternam decernere. Ergo... *Min. prob.* Congruum est, ut Deus sapiens legislator, sanctionem de se sufficientem proponat, ne ipsius legem homines transgrediantur. Sed sanctio de se sufficiens est tantum poena aeterna; inspectis enim hominum in vitia pronitate, sensuum illecebris, quibus ab observantia legis remouentur, atrocibus suppliciis, quae sunt aliquando sustinenda ut in virtute persistent; tantum sanctio aeterna potuit homines in officio efficaciter continere. Quid enim aliud plures martyres, ut ex eorum actis constat, ad sustinendos acerbissimos cruciatus ursit nisi alterna sors aut felicitatis aeternae, aut aeternae infelicitatis? Hoc argumento usus est S. Hieronymus adversus origenistas (1): «Evertit penitus hoc dogma (Origenis) timorem Dei, dum homines facile labuntur ad vitia putantes etiam diabolium, qui auctor est et peccatorum omnium fons, acta poenitentia posse salvari. Finge quotlibet annos, et tempora duplicia, et infinitas aetates congere cruciatibus, si finis omnium similis est, praeteritum omne pro nihilo est, quia non quaerimus quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri simus (2).»

(1) C. 3 in Joann.—(2) Argumenti hujus vis ipsos paganos non fugit nam Lucretius canit: De natura rerum. I, 108.

Nam si certam finem esse viderent  
Aerumnarum homines, aliqua ratione valerent  
Relligionibus atque minis obsistere vatium:  
Nunc ratio nulla est, restandi nulla facultas,  
Aeternas quoniam poenas in morte timendum.

e) «Quandoque qui peccat, ait D. Thomas (1), in aliqua civitate, ex ipso peccato efficitur dignus, ut totaliter a civium consortio repellatur vel per exilium perpetuum vel etiam per mortem... Et ita etiam secundum justitiam divinam aliquis ex peccato redditur dignus, penitus a civitatis Dei consortio separari. Quod fit per omne peccatum, quo contra charitatem peccat, quae est vinculum civitatem praedictam uniens. Et ideo pro peccato mortali quod est contrarium charitati, aliquis in aeternum a societate Sanctorum exclusus, aeternae poenae addicitur.» Hoc pacto arguebat jam S. Augustinus (2): «Qui pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, numquid morâ qua occiditur, quae perbrevis est, ejus supplicium leges aestimant, et non quod eum in sempiternum auferunt de societate viventium? Quod est autem de ista civitate mortali homines supplicio primae mortis, hoc est de civitate illa immortalis homines supplicio secundae mortis, auferre.»

f) Cum Suario (3) ex D. Augustino (4). Deus ut constat ex Scriptura et traditione punit mortale peccatum aeternis poenis. Ergo peccatum ex se et intrinsece meretur aeternam poenam. Prob. *conseq.* Voluntas Dei per se justa est in taxandis poenis. Sed justa voluntas non nisi poenas proportionatas et accommodatas naturae delicti decernit. Ergo...

44. Obj. 1.º Ex Scriptura arguitur: a) ex locis in quibus ut in Exodo (5): aeternitas dicitur duratio temporanea diuturna: b) ex locis ubi dicitur misericordiam Dei superare justitiam (6). c) Ex locis ut apud Marcum (7) ex quibus deducitur alios alii inter damnatos judicium prolixius subituros. d) Ex Act. Apostolorum (8) ubi enuntiatur futura omnium restauratio. e) Ex S. Petro (9) docente: *In quo (i. e. in spiritu) et his qui in carcere erant spiritu veniens praedicavit, qui increduli fuerant aliquando quando spectabant Dei patientiam in diebus Noe.* Sed qui increduli fuerunt, damnati fuerunt. Ergo...

Resp. ad a) Aeternitas sumitur pro duratione non perpetua in rebus hujus vitae; conc. vel Tr. In rebus saeculi futuri; neg. Expresse enim excluditur omnis finis.

Ad b) Misericordia Dei superat justitiam in hac vita; conc. In alia neg. vel subdist. Ita ut auferat poenarum aeternitatem; neg. Cum poenarum aeternitate; conc. Vide Thes. VI prob. 4.º hujus arg. d)

Ad c) Alii aliis accipient prolixius judicium acerbitate; conc. Du-

(1) Supp. Q. 99, a. 1, ubi alia argumenta a nobis desumpta invenies.—(2) De civ. L. 21, c. 11.—(3) De act. human. tr. 5. De pecc. D. 7, sec. 3.—(4) L. 1. De fide cont. Manich, c. 19.—(5) XXVIII, 43.—(6) Ps. CII, LXXVI.—(7) XII.—(8) III, 21.—(9) I.ª III, 20.



ratione: neg. De his qui negant infernum aeternum ait Chrysostomus (1): «O dementiam! O stultam et asinariam sententiam! O animam peccati et voluptatis amantem, atque ad nequitiam respicientem! Etenim a voluptatis amore haec dogmata omnia nascuntur ita ut si ii, qui talia dicunt virtutem amplecti vellent, cito de gehenna persuasi essent, omnique dubitatione exuerentur.»

Ad d) Restituentur omnia pro justis; conc. pro reprobis; neg. Hi cum consummata fuerint omnia: *ibunt in supplicium aeternum.*

Ad e) Neg. vel dist. *min.* *Aliquando* dum permanserunt in incredulitate; conc. Semper etiam in fine vitae cum jam diluvio puniebantur; neg. Est enim in hoc loco juxta probatiorem explicationem sermo de animabus, quae erant in limbo PP., de ipsis tamen fit specialis mentio, quia in toto illo capite Petrus consolatur fideles, et animos addit ad patiendum pro Christo, et tandem summam rationum in eo posuit, quod licet mortificemur carne i. e. in corpore affligamur et puniamur, tamen per Christum salvamur in spiritu. Hanc ergo rationem voluit illustri exemplo declarare et persuadere. Nulli enim videntur magis mortificati in carne, quam illi qui tempore diluvii aquis divinae justitiae submersi sunt, et tamen multi ex illis in fide Christi, spiritu vixerunt; et ideo Christus illis una cum sanctis aliis praedicavit veniens in infernum.

Obj. 2.º Ex PP. afferuntur contra hanc thesim SS. Justinus, Irenaeus, Gregorius uterque Nazianz. et Nyssen. Ambrosius et Hieronymus (2). Ergo non ex unanimi traditione potest firmari poenarum aeternitas.

Resp. In genere Dist. *antec.* Afferuntur contra, *jure* quasi PP. propriam sententiam referrent; neg. *Injuriã*, quia PP. tantum referunt Originis sententiam, quam aliqui implicite alibi reprobant, vel explicite citati in objectione; conc. Vide eorum sententias Prob. 3.º Quare conformius rationi est ipsos benigne exponere, ut vel de poenis purgatorii loquantur debitis venialibus, vel de aeternitate non essentiali, nam sicut anima non est essentialiter aeterna, sed tantum ex natura sua cui Deus se attemperat, ita de poena aeterna potest quis ratiocinari (3).

Obj. 3.º Poena inferni debet esse peccato damnatorum proportionata. Sed poena aeterna talis non est. Ergo...

Resp. Dist. *Maj.* Proportionata quoad malitiam; conc. Quoad durationem subdist. Materialem actus peccati; neg. Debitam malitiae peccati; conc. Et contradist. *min.* etc. Ait D. Thomas (4): «In

(1) Homil. 31, in Rom.—(2) V. Petavium. De angel. L. 3, c. 7.—(3) V. Petav., ibid. c. 8; Mazell. card. De Deo creante n. 1267; Wirtemberg. De pecc. n. 54.—(4) 1, 2, Q. 87, a. 3, ad 1.

»nullo judicio requiritur ut poena adaequetur culpae secundum durationem. Non enim quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea poenã punitur, sed quandoque quidem perpetuo carcere vel exilio, quandoque etiam morte, in qua non consideratur occisionis mora, sed potius quod in perpetuum auferatur a societate viventium, et sic repraesentet suo modo aeternitatem poenae inflictæ divinitus.»

Inst. a) Inter poenam infinitam et peccatum finitum non datur proportio neque quoad demeritum. Sed poena aeterna inferni est infinita, et peccatum est finitum etiam in malitia. Ergo... Confir. ex S. Augustino (1): «Plus mali invenitur in suppliciis quam in peccatis.» Ergo...

Resp. Dist. *Maj.* Inter poenam undequaque infinitam et peccatum finitum; conc. Inter poenam infinitam quoad durationem et peccatum absolute quidem finitum, respective vero infinitum; neg. et contradist. *min.* etc. Nam poena inferni non est infinita quoad intensionem, sed quoad durationem, peccatum vero in se est actus finitus, sed respectu personae offensae quamdam infinitatem habet. Ad confir. responde plus mali physice; conc. moraliter; neg.

Inst. b) Duorum peccatorum mortalium unum est altero majus. Sed si hoc peccatum mortale jam habet aliquo modo malitiam infinitam, aliud majorem habere non poterit. Ergo...

Resp. Dist. *Maj.* Ita ut ambo in hoc convenient, quod sint offensa seu contemptus personae infinitae; conc. Ita ut in hoc non convenient; neg. et dist. *Min.* Si hoc i. e. hoc peccatum mortale esset contemptus personae infinitae et aliud non; conc. Si ambo sunt; neg. vel subdist. Non erit unum altero majus in hoc; conc. In intensione contemptus; neg. In peccato mortali potest veluti duplex malitia considerari; una essentialis communis omni peccato mortali, in hoc consistens quod sit offensa gravis Dei seu Dei contemptum involvens; alia accidentalis, propria unicuique peccato mortali, quae dependet ex majori cognitione, pejore voluntate, etc. et in hac, non vero in prima consideratione, est unum peccatum mortale altero gravius.

Obj. 4.º «A justo judice non infertur poena nisi ad correctionem: unde II, Ethic., cap. III, a princ., dicitur quod «poenae sunt quaedam medicinae.» Sed quod impii in aeternum puniantur, hoc non est ad correctionem eorum, nec aliquorum aliorum, cum tunc non sint aliqui futuri qui per hoc corrigi possint. Ergo secundum divinam justitiam non infertur pro peccatis aeterna poena (2).»

(1) In Ps. XX, 1.—(2) Ex D. Thoma. Suppl. Q. 99, a. 1, ut aliae difficult.